

**3. Alessandro Cortesi a Marco Maroldi della Bella,  
Maestro del Sacro Palazzo.<sup>1</sup>**

Roma, 21 aprile 1485.

... Interim quamquam non dubito quin alii plures ad vos scripserint quecumque hic assidue fiant, tamen officii mei est certiore te reddere rerum earum que memorabiles videri possint. In predio monachorum Sancte Marie Nove, quod prope viam Appiam est, haud longe ab illo sepulchro, quod Herenniorum et Tulliorum esse litere indicabant, inventum est cadaver integrum, illesum, neque vetustate, neque aqua que penetraverat in urnam corruptum. Caro ipsa mollis et coloris pene vivi hominis cum primum educta est. Deinde aere perspecto contraxit subnigrum colorem. Res mira videbatur quia etiam infula capiti conducta aureis quibusdam fibulis ornata et serico intersecta filo superstes erat. Nam cadaver etsi mirabile est tot annos conservatum esse non est inauditum. Omnes enim scriptores narrant posse id fieri et apud Egiptios in usu fuisse memorant. Vulnus hic in urbe arbitratur liquorem illum quo perunctum totum cadaver et quasi picatum est, ex mirra et aloë confectum, doctores oleum cedrinum id esse putant, sed mixtum fortasse. Nam est crassum veluti glutinum quoddam odore gravi et quod late omnia impletet; plures arripiuerent ex eo qui forsitan ad vos mittent. O quam vellem affuisse. Relatum est in urbem et in Capitolio positum maxima cuiusque generis turba comitante. Ego et vidi locum in quo repertum est, et tetigi crines, ora, genas; facies est liberalis, rotunda, pinguis, forme admirabilis membra omnia veluti succi plena et viventia; eam feminam esse liquet. Obstupui sane et obstupuere omnes qui videre. Nam argumentis probabant eruditissimi, quod et ego confirmavi: vel antiquissimum hoc esse cadaver quoniam inter sepulchra vetustissima vie Appie compertum est, simul quod ante tempora L. Sille mos Romanus corporum servandorum fuit. ipse L. Silla comburi fecit sese veritus talionem, quia Marii cadaver eruerat, quod postea secuti sunt Romani omnes. Igitur hoc ante Sille etatem conditum fuit. Sed ego ut dicam quod sentio: non puto deprehendi posse nisi littere indices inveniantur, quas aliqui subreptas una cum marmorea tabula putant. Scripsi plura forte quam oportebat; sed hoc desiderio tui fit, cum quo vellem colloqui de his rebus quibus preclara ingenia delectantur. Vale Rome die 21 aprilis 1485.

Cod. Ashburnh. 1657, p. 107. Bibl. Laurenziana a Firenze.

**4. Innocenzo VIII a C. Bandino.<sup>2</sup>**

Roma, 12 ottobre 1485.

Cesario Bandino de Castro Plebis commissario nostro. Confisi de prudentia et diligentia et fide et in multis rebus probata industria te commissarium nostrum mittimus ad conduceendum dilectum

<sup>1</sup> Cfr. p. 289 n. 3. UGHELLI IX, 332 s.; MORONI, XLI, 212.

<sup>2</sup> Cfr. sopra p. 221.